

nium prima in campum prosilire præsumit, prima quoque est quæ in venatoris retia, id est, in pravariationes corrumpit. Id. d. VII n. 3.

Sicut turdela ex eo, quod digerit, moritur; ex ejus quippe stercore planta nascitur, de cujus humore viscus conficitur, quo postmodum et ipsa capiatur, atque ex eo agitur, quod id, quod prius fuerat cibus suus, efficiat, ut et ipsa postmodum sit cibus alienus; ita ergo, cum immunda quæque ac vana proferimus, quid aliud quam laqueos nobismetipsis loquendo compingimus, quibus ab astutis aucupibus, hoc est, a malignis Spiritibus postmodum capiamur. S. PETR. DAM. ser. de Vitio ling.

Sicut unicus pulveris atomus pupillam offuscet, lumenque impedit; ita vel unicum ex levitate prolatum verbum irreparabilis damni potest esse causa, charitatemque penitus extinguere. S. CHRYS. hom. LII in Matth.

Sicut David, dum oram ehlamydis præscidit Sauli, eam diminutam et imperfectam fecit; sic multoties contingit viris non vulgaris perfectionis, qui si non occidunt, oram ac fimbriam saltem vestis abscedunt, detrachendo scilicet de fama et honore alienus, quem non omnino exuunt, sed minuunt. POET. in Jac. c. III, § 1.

Sicut ignis absque ullo cujusque respectu suam exercet voracitatem in centones et purpura, in plumbum et aurum, in arundines et ebemos; ita et lingua nulli penitus parcens, resolvitur, atque in principum et subditorum, in dominorum et servorum, in divitum et pauperum, in doctorum et ignorantium, et quorumcumque aliorum exaccit indifferenter præjudicium. MANSI, d. XV, n. 5.

Sicut quoquo pervenerit ignis, omnes in cinerem convertit sericas vestes, et apparatus ditissimos, suppellectilem quamcumque pretiosam, et quodcumque aliud, quomodolibet excellens. Eandem linguam exercet violentiam, quia, ut S. Thomas super illa S. Jacobi verba (*magnam silvam incendit*) exponit, magnam materiam operum perire facit; quod idem Venerab. Beda diu ante in hæc expresserat verba: Sicut a modica scintilla ignis exorescens, magnam sæpe silvam incendit; ita incontinentia linguæ, suis nutrita levitatibus, magnam bonorum operum materiam, multos vitæ spiritualis fructus, ubi attaminaverit, perdit, et innumera ple-

rumque quæ optima videbantur, locutionis folia consumit. Ibid. n. 7.

Sicut quo majori ignem fovimus alimentum, tanto magis redditur insatiabilis; ita et lingua, quanto magis exercetur, et quo uberius ei præbetur motivum, tanto insolentius voluntatem auget et prurimum loquendi. Ibid. n. 6.

TEMPUS. — Sicut malum ex auro fictum, refiaulo argenteo inclusum longe pulcherrius apparet, quam si nudum foret; ita verbum in tempore prolatum gratius longe erit, quam si non opportuno tempore proferretur. PROV. XXV.

Sicut ad perfectum musicum spectat, non tantum canere, sed etiam pensare posse; ita ad perfectam loquendi artem non tantum spectat suo tempore loqui, sed etiam tacere posse. FAB. conc. III in Dom. XI, post Pent. n. 1.

Sicut militi non datus est gladius, ut eum semper in vagina reconditum servet, sed ut suo tempore illum extrahat, et utatur; ita nec lingua data est homini, ut semper taceat, sed ut ea suo tempore utatur. Ibid.

MOTIVA.

Ad custodiendam Linguam.

Quia lingua Christi est, uti S. Chrysostomus indicavit, dicens: In superioribus me dixisse memini, manum esse linguam nostram, quæ pedes Dei attingat; nunc vero majus quiddam adjicio, quia lingua nostra est lingua Christi. Christi linguam imitatur, si diligentiam adhibemus, ut illa loquamur, quæ ille præcipit. Et iterum alibi: Non sunt tua labia, sed Domini; ipse enim fecit ea, ipse construxit, ipse vitam inspiravit. At tu habes; sed non omnia, quæ habemus, nostra sunt. Pecunias enim habemus, quas alii apud nos deposuerunt, et agros conductos habemus, quos alii nobis dederunt. Ita hæc etiam tibi loquitur Christus, non ut feras spinas, sed ut convertas semina ad id, quod est utile; non ut arrogantiam, non ut dolum, sed ut humilitatem, et laudem, ac benedictionem et dilectionem facias per eam germinare. Quomodo autem dicis: Labia nostra sunt apud nos, quando ea peccati serva feceris, quando fornicationis, quando immunditiae? Quis est noster Dominus? O verbum diabolicum! O

animam demoniacam! Vides, o homo, universam creaturam predicare Domini tui potentiam, sapientiam, curam, providentiam; vides corpus tuum, animam, vitam, quæ sub aspectum cadunt, et quæ non cadunt, omnia propemodum vocem emittentia: Laudate potentiam artificis; et dicis, quis Dominus noster est? Hoc est furoris, hoc stuporis, hoc corrupti animi. S. CAAYS. hom. LXXIX in Matth.

Quia soli homini rationali concessa est; unde infert S. Antoninus: Si igitur soli creaturæ rationali est concessa lingua loquax, rationaliter ea uti debet, non bestialiter; et hoc etiam ostendit ipsa dispositio naturalis oris et linguæ; et hoc est, quod dicit Psalmista cXLIV. Laudationem Domini loquetur os meum; id est, dispositio oris mei bene considerata, docebit me recte loqui secundum rationem, et sic consequenter Deum laudare. S. ANTON. pet. II, c. IV.

Quia lubrica admodum est lingua; uti S. Bernard. indicavit, dicens: Est membrum pronissimum omni malo, quod quidem natura ipsa ostendit, cum in lubrico, id est, in humido posita sit. (S. BERNAR. SEN. tom. III, s. de Multiloq. art. 3, 7.) Hinc Elias Cretenensis ait: Quantæ difficultatis sit, linguam frenare, tum a Propheta demonstratur, cum ab ipsomet Deo labiorum atque oris custodiam petit; tum ex ipsa procreationis nostræ ratione constat, ut, quæ duplicem mûrum, hoc est, dentium et labiorum, linguæ dederit. ELIAS CRET. in Or. I, S. Naz.

Quia vilem admodum facit lingua male custodita, uti S. Augustinus breviter indicavit, dicens: Summa verecundia est, et depressa dejectio, non posse linguam refrænare, et vile ligare non posse verbum. S. AUG. s. III ad FF.

Quia graviter etiam nociva est loquenti, ut S. Bernardinus notavit, qui et addidit, nullam bestiam vel feram tantum hominibus nocere, quam linguam malignam; (S. BERNAR. SEN. I. c. art. 2.) Unde et S. Hieronymus monet: Sollicitam satis ori tuo custodiam pone, non enim est quidquam in nobis, quo facilius peccare possimus, quam lingua. (S. HIERON. ad Dem.) Clarius vero hoc explicans documentum, idem S. Bernardinus ait: Noet loquenti tripliciter. Primo, respectu Dei. Secundo, respectu sui. Tertio, respectu proximi. Respectu Dei, quia gratiam Dei ab anima tollit. Unde Bernardus ait: Levis est sermo, sed graviter vul-

nerat. Secundo, respectu sui, quia bonam famam amittit; unde Ecclesiastici v. Honor et gloria in sermone sensati; lingua imprudentis subversio est ipsius. Tertio, respectu proximi, quia gratiam hominum tollit. Noet audienti, quia mentem ejus inficit et corrumpit, atque scandalizat, scilicet mendacis, adulationibus, consiliis, et suasionibus pravis, seminatione discordiarum, diffamationibus, turpiloquiis, murmurationibus, perjuriis, detractionibus, blasphemis, et sermonibus aliis contagiosis, de quibus omnibus, I. Corinth. xv. Corruptum bonos mores colloquia prava.

Quia incurabilis propemodum est lingue incustodia; uti Lyranus, in cap. III Jacobi, insinuat, dicens: Hic ostendit, quod inficit incurabiliter, quia lingua mala non est domabilis, sicut cætera membra, quæ possunt ligari, et a suis actibus impedi; non sic autem lingua, nisi præscindatur. (LYRANUS, in c. III Jac.) Et confirmans id ipsum S. Valerianus ait: Non difficile est medico, ulcera quantumvis tumentia in oculis posita, herbarum beneficio castigata mollire. Habet et vis veneni remedium suum, quod haustum quamvis in ultima viscerum sede dominetur, salutaris tamen poculi unda perquiritur in tantum, ut miretur aliquoties artifex seclerum superveniente medicina, nihil oris sui incantationem valuisse. Linguae vero insanabilis plaga est, quæ, quamvis leviter percutiat, alta tamen semper movet pectoris dolore suspiria. S. VALER. hom. V, de Oris insolentia.

Quia præcipuum Demonis instrumentum est, uti S. Chrysostomus testatur, dicens: Quid, licet Dæmon omnibus sensibus nostris abutatur, ut nos ad Deum offendendum inducat, nihilominus nullum a Dæmone habeat instrumentum, quo majori cum facilitate, et frequentius prævaricari nos faciat, quam per linguam. (S. CHRYSOST. hom. v ad Baptiz.) Hinc Dionysius Carthusianus ait: Diabolus dicitur linguam inflammare, in quantum ad verba vitiosa incitat hominem. (DIONYS. CARTH. in c. III Jac.) Quod idem Beda diu ante ipsum his verbis dixerat: A gehenna, dicit, id est, a Diabolo et Angelis ejus, propter quos gehenna facta est.

Quia noet in corporalibus. Quot, quasso, homines, inquit S. Bernardinus, per violentam mortem pereunt, ex accusationibus falsis, ex infamiis datis, ex mendaciis inventis, ex detractionibus pravis, ex perjuriis impiis,

ex contentionibus stultis, ex divisionibus nequissimis, et ex discordiis fatuis, perditionibus diabolicis, contumeliis contrariis, et consimilibus verbis? *Multi ceciderunt in ore gladii* (verba sunt Ecclesiastici) *sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam* Beatus, qui latus est a lingua nequam! S. BERNAR. SEN. I. c.

Quia Angelos et primos parentes in ruinam traxit, uti S. Bernardinus indicavit, dicens: Tu Angelos in Daemones convertisti, atque de celesti Regno in æterna supplicia dejecisti, et profundasti; primosque parentes nostros, ac cum eis totum genus humanum de Paradiso deliciarum ad æternas et temporales miseras destinasti. Id. tom. I, s. XXIII, ar. 3, c. III.

Quia linguæ custodia multum conducit ad omnia membra regenda, teste V. Beda dicente: Si quis lapsus linguæ, qui pene inevitabilis est, cavet, hic consuetudine fixa ejusdem continentie etiam cætera corporis membra, quæ facilius castigari possunt, ne a recte itinere divertant, discit observare. V. BEDA. in c. III, Jac.

Quia ad perfectionem assequendam est precipuum instrumentum. Hinc S. Bernardus: Quod si dixeris, ait, rarus est, qui sermones suos in judicio disponere videatur, vel ex hoc discas, quam sit rara perfectio, cum nec perfectum inveneris esse commune. Ac proinde in sermone quodam, de modo bene vivendi, sororem suam his verbis monet: Linguam tuam refræna, et eris religiosa, quia si eam non refrænaveris, religiosa non eris. Sed si forsitan mihi non credis, audi Jacobum dicentem: Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. (S. BERNAR. s. de tripl. Custod.) E contrario vero S. Laurentius Justinianus: Nihil ita incongruum homini Deo famulanti, et ad perfectionem tendenti reperitur, sicut effrenata lingua, nullo considerationis moderamine religata, quæ omnem mentis unitatem dissipat, et occidit. S. LAUR. JUST. c. xv, de Disc. mon.

Quia ex verbis precipue colligitur status hominis. Nam ut S. Basilius ait: Fluentum sermonis, quod ministerio linguæ ad exteriora deducitur, fontis, ex quo manat, index et testis est. (S. BASIL. de vera Virg.) Et confirmans id ipsum Paulus de Palatio: Est enim, inquit, vicarium responsum inter verba oris et mentis; quod enim mens cogi-

tat, vult, cupit, naturali consequentia fit statim verbum in ore; ideo cor et os unum censentur, est enim canalus apertus ex corde ad os, neque fere aliud est, in quo cor apertius cognoscatur, quam in ore. PAUL. DE PALAT. in *Math.*

MOTIVA.

Ad Linguam refrænamam.

Necessitas ad damna, quæ ex linguæ malo usu oriri solent, avertenda; ob quam causam merito quisque cum Siracide exclamant: Quis dabit ori meo custodiam, et super labis mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? ECCLES. XXII, 33.

Utilitas; nam qui moderatur labia sua, et doctus et prudens est, (hinc tanta doctrina *bovis muti*, S. Thomæ Aquinatis) et de fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. Certe mors et vita in manibus linguæ. PROV. XII, 23, 2.

Dignitas; nam qui non labitur in verbo, hic perfectus est vir, tantoque majori dignior honore, quanto difficilior est *ars bene loquendi*, quantoque pauciores reperiuntur, qui eam perfecte didicerunt. Ibid. XVIII, v. 2.

Jucunditas, quam S. David indicavit, dum eum, qui vult vitam, et diligit dies videre bonos, ad linguam coercendam hortatur. (PS. XXXIII, v. 14.) Sed et Salomon verba composita, favum mellis dixit. PROV. XVI, v. 14.

Æquitas. Quid enim æquius, quam ut quisque optimum de seipso testimonium ferat? Atqui quotiescumque aliquid dicturus es, scire debes, morum tuorum te chirographum exhibere, ait sapienter Wido. PROV. VI, c. XIV.

MEDIA.

Ad Linguam refrænamam.

Oratio et invocatio gratiæ divinæ sedula; nam hominis est preparare animam, et Domini gubernare linguam, teste Salomone. (PROV. XVI, 11.) Hinc et S. Jacobus dixit, linguam nullus hominum domare potest.

(JAC. III, 8.) Neque hoc, teste S. Augustino, ideo dixit, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poseamus auxilium; non enim ait: Linguam nullus domare potest, sed: *Nullus hominum*, ut cum domatur Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri, fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, et, dum conatur, poseat auxilium, et ore lingua, domante illo, qui dixit ad eos, non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. (S. AUG. XV, de *Natura et Gratia*.) Et clarius alibi: Si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum fugiendum est, qui domet linguam nostram; si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es, linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestiis, quas domamus. Equus non se domat, leo non se domat, camelus non se domat, sed ut dometur equus, bos, camelus, elephas, leo, queritur homo; ergo Deus queratur ut dometur homo. (Idem, c. IV.) Sed et S. Bernardinus id confirmans ait: Ad custodiam linguæ non sufficit custodia vitæ, nisi adsit adjutorium divinæ gratiæ, ideo Propheta auxilium a Domino ad hoc postulabat. S. BERN. SEN. v, ar. 1, c. II.

Eucharistiæ frequens perceptio; nam ut bene S. Maria Magdalena de Pazzi dixit, sicut il, qui vinum copiose biberunt, eructant illud; ita anima Christi sanguine inebriata, eructat ex ore divinas laudes, gratiarum actiones, et præ amoris vehementia, qui regnat in corde ejus, prorumpit lingua in verba sancta et exemplaria proximis, et quidquid dicit, redundat in honorem Dei, et utilitatem animarum. Imo audebo dicere, nunquam audietur loqui verba infructuosa et vana. Hinc S. Chrys.: Quo non oportet, inquit, te esse puriorem, fruementem tali sacrificio? Quo solari radio, non splendidiorum manum, eamem hanc dividentem; os, quod igni spirituali repletur; linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? (S. CHRYS. h. LXXXIII, in *Math.*) Facessat ergo, ait S. Petrus Damianus, ab ore militis Christi, omnis vani rumoris ineptia, et lingua, quæ immaculati agni, imo summi Verbi rubet sanguine, dedignetur otiosi sermonis sese fecibus inquinare. S. P. DAMIANUS. ep. XLIX, c. X.

Amor Dei; nam, ut recte Plato dixit, ho-

mines fiunt amore facundi ad loquendum de rebus, quas amant. PLAT. *apud Bæsum in Panar.*

Præsentia Dei; sic enim jam olim Seneca suavitatis dicens: Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant. (SENeca, ep. X.) Merito ergo quisque sibi imaginatur Christum in medio stantem et dicentem: Quos sermones confertis ad invicem? LCC. XXIV, v. 17.

Amor silentii; nescit enim secure loqui, qui prius non didicit tacere, teste Thoma Kempensi. (L. I, c. XX.) Quod medium etiam S. Laurentius Justinianus commendavit, sequentibus verbis: Nemo, quomodo Deo, quid proximo dicat, scire sufficienter meretur; nisi prius dederit ori suo ponere silentium. Oportet, ut assesset lingua taciturnitati, deinde sermocinationi. Os, quod silere novit, facile fari prudenter discit, qui vero incontinens est, multa profert (præter voluntatem) et redargutione digna. Salubre quidem est, non ex noxiis tantum, verum etiam ab utilibus interdum linguam coherber sermonibus. *Obmutui a noxiis, et silui a bonis* (ait Citharædus S.) *et dolor meus etc.* LAUR. JUST. de *Casto Conv.* c. X.

Radiceem garrulitatis tollere, quam idem Thomas Kempensis indicavit, dum dixit: Quare tam libenter loquimur, et invicem fabulamur, cum tamen raro sine læsione conscientie ad silentium redimus? Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari querimus, et cor diversis cogitationibus fatigatum, optamus relevare. Et multum libenter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui et cogitare. L. I, c. X.

Multam sibi pro transgressionibus injungere; sic Norimbergensis civis jejuniis, alius Augustanus carnis proprie incisione, Memminganus quidam, teste Fabro, abstinentia vino, quoties jurassent, imperata, jurandi consuetudinem superarunt. FAB. con. II, in *Don. XI, post Pent.*

Frequens collatio de rebus spiritualibus; sicut enim qui rem odoriferam manu versat, quo amplius tenet, hoc fragrantiores odores sentit; ita quo quis tractationem rerum spiritualium frequentius in colloquium adducit, hoc magis excitatur ad easdem animo et ore versandas. BUSÆUS, in *Panar.* f. 31.

A Deo laudem querere; nam frenum lingue, est laus Dei, inquit Hugo Cardinalis; unde Isaïæ c. XLVIII, dicitur: « Laude mea infrenabo te. » Cum enim lingua iustarum effrenata in continuo sit motu, ne sine freno in prærupta transgressionum corruiat, eumque, qui illam creavit, offendat, eandem hoc divinarum laudum freno coercere, et reprimere voluit; ideo dicit: « Laude mea infrenabo te. » HUGO CAR. in c. III, Jac.

Ponderatio verborum, ut S. Antoninus insinuat, dicens: Non ex omni parte clausa est (scilicet lingua) sed habet aperturam oris, etsi cum clausura dentium, vel labiorum; quia etiam reprehensibile esset semper tacere, propter quod dicit Isaïas: « Vae mihi, quia tacui! » sed prius frangenda sunt verba dentibus examinationis; et hoc est, quod dicit Calistus Papa: Ponderet unusquisque sermones suos, et quod sibi non vult loqui, alteri ne loquatur. S. ANTONINUS p. I, tit. II, §. 8, t. IV.

Bona vita; uti S. Bernardinus suavitatis dicens: Præmis merito custodiam vitam, custodiæ lingue, quia nisi diligenter homo custodiat vitam suam, non potest custodire et refrenare linguam suam. Quinimo secundum quod habitus in vita, labitur et in lingua, juxta illud Matthæi 12. *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala*, scilicet opera atque verba; ait ergo: Ut non delinquam in lingua mea. (S. BERN. SEN. t. III, ser. v, de Esur. Inst. ar. I, c. III.) Unde S. Petrus Damianus dixit: Si viri perfectio in verbi custodia ponitur, profecto patet, quia per effrenatæ loquacitatis incuriam omnis etiam perfectæ vitæ compositio dissipatur. S. PET. DAM. ser. de Vit. ling.

Rationis usus, de quo sic loquitur S. Bernardinus: Tegimen operculi vel ligatura, est censura disciplinæ, qua qui non premitur, quasi vas immundum reprobat. Hoc operculum postulabat Propheta, dicens: « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis; » et quid per operculum et custodiam, nisi illuminata ratio designatur, qua gubernari et regi debet in homine lingua carnis? Merito ergo Ecclesiasticus ait: « Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me. » S. BERN. SEN. tom. III, s. de Multiloq. a. II, c. II.

Vigilantia assidua, quam S. Augustinus

suavitatis dicens: Quanto illa citius et facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto; domabis, si vigilabis; vigilabis si timebis; timebis si Christianum te esse cogitaveris. S. AUG. de Ver. Ap. s. XXVIII, c. XI.

Humilitas, uti S. Laurentius Justinianus indicavit dicens: Eris plane tunc humilis, si ori tuo custodiam, et cordi adhiberis prudentiam, est autem lingua membrum parvum, et magna exaltat, de se pompaticè loquitur, nunc inania, nunc scurrilia profert; illam optime compescit humilitas, quæ silentium diligit; fugit mendaciam, omnemque abhorret tumorem. S. LAUR. JUST. de Vit. Solit. c. XIV.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta triplicem finem, ob quem illi a Deo lingua data fuit, quem breviter S. Bonaventura indicavit, dicens: Data est ad tria homini loquela, scilicet ad laudandum Deum, ad edificandum proximum, et ad accusandum se ipsam. (S. BONAV. in cap. XI, Luc.) Quod etiam Cornelius a Lapide confirmans: Hic, ait, est finis lingue, ob quem nobis a Deo est indita, scilicet ut illa Deum glorificemus, aliosque glorificare doceamus. (CORNEL. A LAPIDE, in c. III, Jac.) Et S. Bernardinus: Lingua nostra nobis donata quasi amplius, quam cetera membra divinis obsequiis mancipata. S. BERN. s. de Multiloq. c. II.

Nosse debet, cur lingua inferius ligata sit, et superius libera, ad innuendum scilicet, ut S. Bernardinus ait, quod humanus sermo debet liber esse ad loquendum de Deo, atque proximo, nec non de superioribus, et æternis, sed arelatus atque ligatus esse ad loquendum de transitoriis et terrenis. S. BERN. Ibid.

Nosse debet, cur tam facilis sit homo ad linguam laxandam, nimirum quia vicina est cerebro, sicut et os phantasiæ adeo propinquum est, ut, quod in hac voluitur, ad linguam protinus dilabatur; quia verbum oris, est partus verbi mentis, sermo est fructus cogitationis. Cum igitur lingua cum corde et cerebro connexa sit (siquidem Anatomistæ aiunt) duæ venæ a lingua protenduntur, quarum una ad cerebrum, ad cor altera tendit; consequens est, quod merito nullum a nobis proferri debeat verbum, nisi per iudicium, discursum, rationem et

prudentiam recte fuerit ponderatum. MANSI, d. II, n. 8.

Nosse debet, cur dentibus et labiis sit munita; nimirum ob tres rationes a S. Bernardo assignatas. Primo, propter fragilitatem. Secundo, propter malignitatem. Tertio, propter sanctitatem vel bonitatem, res pretiosas siquidem diligenter claudi et custodiri solet. Magna profecto est pretiositas humanæ lingue, cum in humano corpore humanæ rationis sit instrumentum; unde in bonum propter tria maxime sic munita est. Primo, propter laudem Dei. Secundo, propter salutem sui. Tertio, propter edificationem proximi. Primo, propter laudem Dei, quod quidem officium magnam sanctitatem requirit in ipsa lingua, nam ut Eccles. c. v, attestatur: « Non est speciosa laus in ore peccatoris. » Secundo, propter salutem sui; nam cum lingua sit tenuis, et lata quasi pala, aptissima est ad evacuandam malitiam cordis; unde data est homini, ut possit per confessionem purgare peccata sua, et assumere Sanctissimum Sacramentum. S. BERN. s. de Tripl. Custod.

Nosse debet, cur carnea sit; videlicet, ut aperte clarescat, quod homo loqui cum tractabilitate, et humilitate debet, sicut Prov. XXV, scriptum est: « Lingua mollis confringet duritiem. » Quod etiam S. Antoninus confirmat dicens: Nota, quod lingua est carnea, non ossea, et inde multum ductilis, et volubilis hinc inde per os, ut ex hoc intelligas, te in locutione non debere esse durum, et pertinacem, sed ductilem ad retrahendum veniam, si alium male offendisti, et non protervum et durum, ad defendendam tuam opinionem. S. ANTONINUS, p. I, t. VI, c. IV, §. 1.

Nosse debet, cur tam delicata sit; nimirum, ut inde instruat homo, quod loqui debet cum benignitate, juxta illud Ecclesiastici VI. *Lingue eucharis*, id est, bonæ gratiæ, in bono homine abundabit. S. BERNARDINUS, l. c.

Nosse debet, cur flammea sit; nempe ut mystice demonstretur, quod homo loqui debet cum charitate, de charitate, et propter charitatem. Loqui debet cum charitate; sin, absque fructa salutis æternæ loquitur homo; unde primo, (COR. XIII,) ait Apostolus: « Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. » Secundo, loqui debet de charitate,

scilicet Dei et proximi. Dulcis sermo omni acceptione dignus loqui de charitate, quod maxime convenit dilectoribus charitatis. Ibid.

Nosse debet, cur semper per salivam madafacta sit; qua de re sic loquitur S. Antoninus: Est lingua quasi semper madafacta et mollis, et hoc vel a saliva procedente a stomacho, vel a phlegmate a capite descendente, vel putredine in pectore congregata; ad significandum, quod locutio tua debet esse, vel verbis divinis, tamquam ex cibis spiritualibus acceptis ex sacra Scriptura, et reventis in stomacho memoriæ; vel de opprobriis et passionibus Christi, qui est caput nostrum; vel de peccatis tuis propriis, tamquam salivis in pectore voluntatis aggregatis, juxta illud Prov. XVIII. *Justus prior accusator est sui*. S. ANTONINUS, l. c.

Nosse debet, cur una tantum lingua homini sit data; id quod S. Basilius indicat dicens: Natura loquendi, audiendique modum ad proportionem regulam metiens, duas aures, linguam unam nobis effinxit, quasi et duplum disciplinæ causa audire debeamus, et ad ea, que rogamur, sesquialtera proportionem contractum referre sermonem. (S. BAS. de vera Virg.) Et id ipsum confirmans S. Bernardinus: Homini, inquit, sola unica lingua datur, cum dederit ei duas aures, duos oculos, duas nares, pedes cum digitis multis, et plura alia duplicata membra, ut disecat anima rationalis plura audire, quam loqui; plura bona operari, plura videre aut similia; nam etiam Seneca inquit: Auribus frequentius, quam lingua utere. S. BERN. l. c. II.

Nosse debet, quomodo verum sit Jacobi effectum: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir; quia in re facem præbet Dionysius Cartusianus, sic loquens: Quia non exccessive in verbo, signum est magnæ custodiæ cordis, magnæ sapientiæ mentis, magnæ perfectionis interioris; siquidem ea, que sunt, in voce earum sunt, que sunt in anima, conceptionum affectionumque notæ; ideoque linguam perfecte reprimere, signum ac opus est perfectionis, ac grandis illuminationis mentalis, ac supra vires humanas. DION. CARTH. in III. Jac.

Nosse debet, quomodo verum sit illud: Nullus est, qui non deliquerit in lingua sua, (Ecc. XIX.) ubi dicit Glossa: Ast contra opponi potest, quod Psalmista dicit: « Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in

lingua mea. » Sed respondetur: Potest servari a delicto gravi, sicut doli, detractionis, jaectantiae, sed non a levi semper, imo omnes offendunt, vel superfice vel otiose loquendo, nisi per specialem Dei gratiam a tali lapsu custodiantur. GROSSA, in c. XIX. *Ecl.* XIX.

Nosse debet, cur Religiosis precipue cura esse debeat custodia lingue; id quod Isidorus Pelusiota indicat, dum ostensurus, in quam periculoso statu sit ille, qui, postquam ad disciplinam transit religiosam, linguam non domat, sequens adducit exemplum, inquit: Ad monasticum studium te contendisse audio; quod quidem nihil aliud est, quam murum firmum, atque hostibus inaccessum extruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere. Quod si et murum ab omni periculo liberum servare cupis, atque hostibus te firmum ac robustum ostendere, linguam, quam maxime poteris, in potestate tene, a qua et celeses et ingentes ruinae contingant. S. ISIDOR. PELUS. l. I, ep. 309.

Nosse debet, cur breviloquium sit amandum, de quo S. Bonaventura sic discurrit super illa verba: Et respondeo exprobrantibus mihi verbum. Non ait, verba, sed verbum, ut adnotaret breviloquium; quod tribus de causis esse multiloquio præferendum, videlicet ad evitandam stultitiæ suspicionem, animæ lesionem, et ipsius perditionem. Quorum primum pertinet ad infamiam; secundum ad culpam; tertium ad penam. De primo, Ecclesiastici decimo: « Stultus verba multiplicat, » unde verborum multiplicatio videtur stultitiæ suspiciatio. De secundo: « Qui multis utitur verbis, lædit animam suam, » unde verborum multiplicatio videtur animæ læsio. De tertio: « Verbum custodiens filius extra perditionem erit. » Quis est verbum custodiens nisi breviloquus? S. BONAV. in Ps. CXVIII.

Nosse debet, an et quousque verba ridicula sint licita; ad quam questionem S. Laurentius Justinianus sic respondet: Sunt tamen multa verba, quæ si in se ridiculosa et vana esse videntur, quæ interdum prudenter, et opportuno dicuntur tempore, vel pro propria sublevanda fragilitate, vel proximorum avertenda tristitia. Hæc nempe talia ab infirmis mentibus nequaquam rearguenda sunt, quia otiosa non sunt. Plerumque hujusmodi magis fructificant, quam spiritualia et divina; non autem in consuetudinem deducenda sunt, sub inten-

tione subdactoria, et raro, suo loco et tempore pronuntianda. (S. LAUR. JUST. de Vit. *Discip.* c. XV.) Id ipsum Plato per aptam quamdam a medicina desumptam similitudinem exponit, quod, sicut medicina ad hoc, ut sanitati conducatur, in pondere et mensura, loco item et tempore convenienti sumi debet; ita quoque jocus adhibendus est, observata usus ejus occasione, ut tamquam medicina loco adhibeatur. (PLAT. l. VIII, de *Rep.* c. IV.) Hinc S. Thomas: Qui in ludo, inquit, ita deficiunt, quod nec ipsi aliquod ridiculum dicunt, nec faciunt, vel dicentibus et facientibus molesti sunt, vitiosi censentur. S. TH. II, q. 168, ar. II.

Nosse debet, septem discretiones in lingua usu observandas, quas S. Bernardinus indicavit dicens: Septem profecto discretiones observandæ sunt cuilibet, qui prudenter et discrete desiderat loqui, juxta quod *Ecl.* c. XXVIII, admonet dicens: « Verbis tuis facito stateram. » Prima discretio est, quare homo loquatur. Secunda, quis loquatur. Tertia, quid loquatur. Quarta, quibus loquatur. Quinta, quando loquatur. Sexta, quomodo loquatur. Septima, quantum loquatur. Nam, teste Hieronymo, in pondere verborum, prolatio existit humane vitæ necessaria. S. BERNAR. s. de *Multiloq.* ar. III, c. II.

Nosse debet, quomodo semper lingua Deum laudare queat; id quod S. Basilii sic explicat: Videtur rem impossibilem polliceri Propheta; quomodo enim semper Dei laus in ore hominis esse potest? Quando enim ea depromit, consuetæ et ad corporis necessitatem respicientia colloquia, utique non jam in ore habet Dei laudem; quando item dormit, penitus silet; bibens quoque aut comedens, quomodo ore concinit laudem Dei? Ad hoc dicimus, os esse quoddam spirituale, et intellecta præditum hominis istius interni, nempe mentis, quo nutritur, quisquis particeps divini fit verbi; de hoc ore etiam Propheta loquitur: « Os meum aperui, et attraxi spiritum. » Sane cogitatio, quæ de Deo est, semel impressa, et velut sigillo ob-signata, in præcipua animæ parte, nimirum in mente, potest laus Dei recte appellari, semper in anima existens. S. BASIL. in *Ps.* XXXIII.

Nosse debet, in quo consistat ars recte loquendi, scilicet in eo præcipue ut lingua sua velut ostio utatur, prout S. David a Deo petivit, dum dixit: Pone, Domine, custodiam

ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis; hæc enim similitudine indicatur, quemadmodum sedulus janitor ostium interdum clausum, interdum apertum habere debet, ita idem circa linguam observandum esse. Porro ut cognoscat, quando hoc ostium aperire debeat, optimum erit consilium, si exemplum Monachi illius sequatur, qui cellæ suæ ostio hæc tria verba inscripsit: *Necessitas, utilitas, charitas;* per ea indicare volens, non prius aperiendum ostium id esse, quam una ex tribus his causis exigeret. Alii totam artem loquendi in illa S. Pauli sententia: Sermo vester sit sale conditus, contineri putant; per illa enim indicare voluit, omnibus verbis sale sapientiæ inspersionem, qua diligenter materia, finis, persona loquens et audiens, tempus et modus observentur, hoc enim esse ostium circumstantiæ, quod labiis suis poni petiit S. David in citato versu. *Ps.* CXL, 3.

Nosse debet et curare, ut dignum de hac arte loquendi seu usu lingue estimationem concipiat, quam quidem tunc facile hauriet, si meminert quod S. Jacobus dixerit, videlicet, si quis non delinquit in verbo, hunc perfectum esse virum; atque adeo perfectionis studioso præ cæteris convenire, ut linguam suam regere norit. Hinc idem Apostolus in eadem Epistola dixit: Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. (JACOB. c. III, 9.) Atque hoc totum S. Paulus in se expertus est, dum de seipso dixit: Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli, aliter scilicet loquens et agens, prout virum perfectum decebat. I. COR. XIII, 11.

Nosse debet sibi que persuadere, quemadmodum Ascetæ vel maxime convenit, frequenter, imo quantum fieri potest assidue, de Deo ac spiritualibus rebus nascere sermonem; ita nihil ipsum magis dedecere, quam faceta, jocosa, ac risum moventia verba, ut qua, teste S. Basilio, remissionem, dissolutionemque animi erga res spirituales inducant, devotionem enervent, et compunctionem cordis extinguant, et, quod caput est, moriones potius decant, quam graves viros. (S. BASIL. in *Const. Mor.* c. XII.) Et sane S. Bernardus de Sacerdotibus dixit: Inter sæculares nugæ, nugæ sunt in ore Sacerdotis blasphemie. Consecrasti os tuum Evangelio,

talibus jam aperire illicitum, adsuafacere sacrilegium est; quanto magis de Religioso ad perfectionis studium obligato, id ipsum sentiendum erit? (S. BERN. apud *Idriq.* p. II, tr. II, c. XII.) Cujus rationem ulteriorem S. Clemens Alexandrinus sequentibus verbis affert: Cum verba omnia a cogitatione et moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua mittantur ridicula, quæ non procedant a moribus ridiculis; ex abundantia siquidem cordis os loquitur. (S. CLEM. ALEX. XXI, l. II, de *Prædig.* c. v.) Hinc S. Ignatius Loyola inter principalia juvandi proximi instrumenta, colloquia pia et sacra numeravit, eaque suis omnibus etiam laicis Fratribus mirifice commendavit, utpote quæ faciunt, ut sæculares magnifice de nobis sentiant, existimantes nos Deo plenos esse, omnibusque donis celestibus abundare. (S. IGN. p. VII, *Const.* c. IV, §. 8.) Certe de S. Francisco Xaverio compertum est, plus ipsum fructus privatis colloquiis, quam publica verbi divini predicatione. Unde merito S. Bernardus exclamans: O quantum, ait, distamus ab his, qui in diebus Antonii exitere Monachi! Horum enim conversatio tota in cœlis erat; et hic rectus ordo erat quando digniori parti prius inserviebatur. Nobis autem convenientibus in unum (ut verbis Apostoli utar) jam non est Dominicam Cœnam manducare; panem quippe celestem nemo est, qui requirat, nemo qui tribuat; nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ, et risus, et verba proferuntur in ventum. Neque dicas, sic charitatem, affabilitatem, ac discretionem requirere, ut quasi astuti, sæculares capiamus; nam, ut idem Sanctus recte advertit, ista charitas charitatem destruit, hæc discretio discretionem confundit. Quæ enim charitas est, carnem diligere, et spiritum negligere? Quæ discretio, totum dare corpori, et animæ nihil? (S. BERN. in *Apol.* ad *Guil. Abb.*) Hæc tota S. Bernardi doctrina non modice confirmatur ex eo, quod Taulerius memorat, nimirum Christum insigni cupiam Dei servo apparuisse, et septem querelas adversus Religiosos magno animi sensu deposuisse, inter quas secunda erat, quod omnes illorum congressus et colloquia vanis ineptisque narrationibus extrahantur, de ipso autem et celestibus altissimum semper sit silentium. TAULER. in c. XXVIII, *Inst.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Et loquebatur recte; » (MATTH. VII, 35.) potest ars recte loquendi doceri, eaque quatuor regulis comprehenditur, quarum prima a S. Jacobo data est, dicente: Sit omnis homo tardus ad loquendum. (JAC. I, 9.) Nemo enim secure loquitur, nisi qui libenter tacet, ait pius auctor. (L. I, c. XX.) Hinc et Seneca: Summa summarum, inquit, hæc erit, tardiloquum esse te jubeo. Et merito; sicut enim ad bestias feroces continendas non est efficacius medium, quam ut cavea conclusæ retineantur; ita et ad linguam (quæ, teste S. Jacobo, difficilior domatur, quam bestia) continendam, silentium est omnium opportunissimum. Alteram Spiritus Sanctus, per Siracidem, obtulit, dicens: Noli citatus esse in lingua tua. (ECCL. IV, 34.) quo significare voluit, *considerate* loquendum, linguamque, ut S. Ambrosius et alii monent, perinde ac loculos pecunia plenos, non prius aperendam, quam evidentem utilitatem aperienti cognoscamus. Tertia ab eodem suggeritur: Non duplices sermonem auditis, et eris vere sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum. (ECCL. XLII, 1.) Hinc non mentiendum, non æquivocandum, non jurandum; ut dici possit cum Eliu: Simpliciter corde sermones mei, et sententiam puram labia mea loquentur. Quarta a S. Petro offertur dicente: Si quis loquitur, quasi sermones Dei; (S. PETRUS, 411.) quo indicatur, *charitative* loquendum (nam Deus omnia ex charitate agit) atque adeo ab omni verbo, quod vel Deum, vel proximum laedere potest, studiosè abstinendum; sic enim ut lingua bovina dulci embammate condita omnibus sapiet, cum verbum dulce, teste Siracide, multiplicet amicos, et mitiget inimicos. (ECCL. VI, 5.)

Ex occasione thematis: « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis; » (PS. CXLIV, 1.) potest alio modo ars recte loquendi declarari dicique, eam a Spiritu Sancto per dictam sententiam fuisse indicatam, dum locutionem aperitionis ostii declaravit; per hanc enim similitudinem insinuare voluit, quemadmodum ad hoc, ut domus custodiatur, duo sunt necessaria, nempe ostium et ostiarius, (quia sine ostio non poterit arcere ostiarius

eos, qui ingredi videntur; sine ostiario autem ostium semper vel apertum erit, vel clausum) ita ad recte loquendum, et animam per hoc custodiendam, necessarium esse studium loquendi suo tempore (quod per ostiarium intelligitur) et tacendi (quod per ostium indicatur). Ostendatur ergo fusiùs 1. Quomodo ostiarius constitutus esse debeat, nempe *timoratus*, id est, metuens iram Domini si quem illi inimicum aut ingratum intrare permittat; *vigilans*, diligenter quærendo, quo tendat, quisque ingredi volens et cuius finis gratia; et *fortis* seu *intrepidus*, omnem respectum hominum abiciens. 2. Ostendat, quomodo ostium constitutum esse debeat, nempe *integrum*, aliqui per partem apertam se hostes insinuabunt; *firmum* et *geminatum*, seu non facile removibile, quo tarditas loquendi indicatur; et *aperibile*, ideoque impedimento clavem arcente carens, quale impedimentum foret obstinatus ad non loquendum, quando oportet, animus.

Ex occasione thematis: « Ori tuo facito ostia et seras; » (ECCL. XXVII, 28) possunt explicari causæ et circumstantiæ loquendi. Et in prima quidem parte ostendi potest, quantopere expediatur linguam artissime custodiri, eo quod vita et mors in manibus linguæ constituta sit; et unusquisque de fractu oris sui repletur bonis, et dies sortiri bonos possit. 2. Dicat concionator, se ad hanc custodiam offerre seram parvulam multis circularis, litterisque inibi scriptis constantem (qua propositum firmissimum silentii, ubi opus est, servandi indicatur) quæ aperiri non possit, nisi unum ex his tribus nominibus per circulos litterarum dispositis, *necessitas*, *utilitas*, *charitas*, prodeat; quæ proin tres causæ paulo fusiùs per practicos casus erunt explicandæ. 3. Dicat in manubrio seræ hujus scripta esse hæc verba Apostoli: Sermo vester sit sale conditus; ut significetur discretio, quæ diligenter discernit inter materias locutione exprimendas, inter personas alloquendas, et inter modos loquendi, ut scilicet submisce, modestè, ac mansuetè potius, quam clamose et asperè quisque loquatur.

Ex occasione thematis: « Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter et egestas; » (PROV. XIV, 23) explicentur damna, quæ ex neglecta linguæ custodia oriuntur, nimirum 1. Egestas *devotionis* et *collectionis internæ*; nam, ut bene advertit Diadochus, quod bal-

neis, idem accidit loquacibus; si balnei ostium crebro patefiat, calore paulatim amisso frigeat; sic si quis multa sine necessitate loquitur, per oris januam, calorem internum exire necesse est. (DIADOCH. de Perfect. Spir. c. LXX.) 2. Egestas *gratiæ* et *meritorum*; cum enim in multiloquio peccatum non desit, consequens est, ut etiam imminutio gratiæ ac meritorum non desit. Vas, ait Scriptura, quod non habuerit operculum, immundum erit. Et ut domus illa, quarum ostia semper aperta sunt, ut cauponum, plerumque perditis hominibus abundant; ita et corda illorum, quorum os semper per loquelam apertum est, vitii plerumque implentur. (NUM. CLXXII, 15.) 3. Egestas *Famæ*, quæ non modice imminuitur per loquacitatem; ut enim, si vas percussum, magnum sonum reddit, vacuum credimus; ita si quem valde loquacem advertimus, virtutibus et aliis donis inanem judicamus. Certe Apollonius rogatus, qui hominum sint optimi? Qui in dicendo brevissimi, respondit. 4. Egestas *amicitiæ*; nam terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis, teste Siracide. (ECCL. IX, 25.) Quæ omnia facile fusiùs diduci possunt.

Ex occasione thematis: « Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia; » (JOAN. XVI, 13) potest dicere concionator, multos querere, quanam ars sit omnium difficillima; et varios varie respondere, sibi autem artem recte loquendi difficillimam videri, utpote quam cum Monachus Pambus discere cœpisset, post quadraginta novem annos necdum se didicisse confessus est. Merito itaque peritum Magistrum, scilicet Spiritum Sanctum pro ea discenda eligi, ideoque se his tribus diebus Pentecostes de hac arte locuturum, et primo die quinque damna, quæ per linguam non custoditam inferuntur; altero quinque proprietates recte loquentis linguæ; tertio quinque media ad eam regendam allaturum. Itaque 1. ostendat, quanta damna Deo inferat æfrenis lingua per blasphemias, murmuraciones, et similia vitia. 2. Quanta Christo, certe major pars injuriarum tempore Passionis inflictarum, linguæ ministerio illata est. 3. Quanta proximo, superioribus videlicet, subditis, domesticis, vicinis, remotis; ita ut merito dixerit S. David: Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus, quia

omnia penetrat. 4. Quanta propriæ personæ; tum in corpore, quia lingua mala, teste S. Jacobo, maculat totum corpus; tum in anima, quia sicut urbs patens abundat malis hominibus, sic anima hominis garuli scætae vitii. Hinc S. Arsenio vian salutis quærenti dictum est: Fuge, tace, quiesce. Hæc sunt principia salutis. 5. Quanta *rebus nostris*, præcipue divitiis et paci internæ, ac famæ, ut facile per varia exempla ostendi potest. Concludatur ergo merito in Magistrum eligi Spiritum Sanctum, qui doceat nos, perinde ut Apostolos, loqui magnalia Dei.

Ex occasione thematis: « Cœperunt loqui variis linguis; » (ACT. II, 4) possunt quinque proprietates linguæ recte loquentis explicari, dicitque, quod debeat esse. 1. *Divina*, ut nihil contra Deum loquatur, atque adeo blasphemias, murmuraciones et similia vitia sedulo caveantur. 2. *Catholica*, ut nihil contra fidem proferatur; nec verba sacra in jocum assumantur, aut alio modo irreverenter usurpentur, ne eveniat quod Balthasari Regi, sacris vasis abutenti, accidit. 3. *Humana*, id est, prudens et considerata, ideoque a levibus, inonestis, jactabundis, affectatis verbis sedulo abstinetur. 4. *Dulcis*, id est, charitativa, ideoque detractiones, contumelias, asperas increpaciones, agnomina, mordacia dicta pari cautela caveantur. 5. *Verax*; hoc enim vel maxime Christianos et germanos decet. Potest, si vult concionator has linguæ proprietates variis linguis nostris comparare, v. g. Hebraicæ, Romanæ seu Latine, utpote gravem Hispanicæ, utpote amabilem Gallicæ, Germanicæ.

Ex occasione thematis: « Aurum tuum et argentum conla, et verbis tuis facito stateram; » (ECCL. XXVIII, 29) possunt per aurum et argentum varia media ad linguam continendam utilia intelligi et proponi. Et 1. quidem *Silentium*; præcipue in templo, cum aliis nobis irascitur, aut de alienis defectibus sit sermo. 2. *Oratio*; quia Deus optimus est gubernator linguæ. 3. *Consideratio*, tum circumstantiarum, tum damnorum, quæ per incauta verba, Deo, proximo, et sibi creantur. 4. *Firmum propositum non labendi cum decreto nulloque pro lapsibus exigenda*; certe secundum hoc propositum erit cursus profectus nostri in arte loquendi. 5. *Radix extirpatio*, quæ quidem non alta est, quam inordinata concupiscentia. Hinc merito Spiritus Sanctus ad nos dicit: Qui

non renuntiat (affectu saltem) omnibus, quae possidet, non potest meus esse Discipulus.

Ex occasione thematis : « Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo; » (JOAN. II, 15) potest invectiva concio in vitium garrulitatis in templo institui solite, cum commune valde sit vitium, fieri. Dicit ergo concionator, se ad hunc finem flagellum ex tribus funiculis facturum, atque adeo demonstraturum, quantopere Deus, proximus, et ipse, qui garrulitatem offendat, 1. Itaque Deum graviter offendi ostendat ex eo, quod ejusmodi garrulitas sit blasphemiam, sacrilegium, idololatriam; cum quis homo in templum orationis causa ingressus os suum consecravit Deo, atque adeo merito illud S. Bernardi dictum ei conveniat. Consecrati os tuum Evangelio (et orationi) talibus aperire illicitum, adsuafacere sacrilegium est. 2. Quod etiam proximum graviter lædat, ostendit ex eo, quod talis gravitas summe displiceat Angelis altari, ut vidit S. Chrysostomus, adstantibus; hominibus devotis, quibus grave impedimentum in oratione, ac dolor creatur; parvulis, qui graviter scandalizantur. 3. Quod etiam sibi graviter noceat, ostendi potest ex eo, quod talis patiatur gravem jacturam famæ, cum juxta S. Chrysostomum, is, qui non libenter orat, clarum det indicium, se nihil egregie dotis possidere; *meriti et benedictionis*, quae sperare possunt ferventer orantes; *favoris et gratiæ divinæ*, per orationem conciliari solite. Hortetur ergo, ut hoc flagello castigati respiciant, et monitum Cicronis observent dicentis: Ad Deos adeunto caste, pietatem tenento, opes amovento. Si quis secus faxit, Deus vindex esto. CICERO I. II de Leg.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Sponsa Coelestis, quae quamvis denotat animam electam his verbis a Divino Amatore laudatur: « Sicut vitta coccinea, labia tua; » in quoniam vero hæc laus consistat, Richardus de S. Victore ad propositum nostrum his verbis explicat: Solent vitæ, dum crines ligant etiam caput ornare, ipsumque ornamentum in mentibus demonstrare; sic custodia et disciplina loquendi mentem

decorat, quae caput, quod principale est hominis membrum, et foris pulchram animam demonstrat. Verba enim dissoluta, et inepte prolata exterius deformant, et intus rectitudinem mentis dissipant. Quot enim superfluis verbis aliquis ulitur, tot modis extra se ducitur, et a custodia sua dissipatur; ubi vero composita fuerint verba, et cum disciplina prolata, testimonium dant constantiæ mentis, prudentiæque atque discretionis. RICH. VICT. p. II, c. XIX in Cant.

Idem Coelestis Sponsus in eodem epithalamio de ornamentis ejusdem Sponsæ loquens, inquit: « Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Murenula autem genus quoddam est piscium, quod in circulum volvitur, in cuius forma olim in aureas, aurium ornamenta effingebantur. Porro certus quidam interpres mysterium prædictorum verborum Sponsi hunc in modum exponit: Ornamentum aurium nullum magis aptum, quam verba; ergo verba pisci assimilat; hoc autem significat parcimoniam in effundendo sermone; pisces enim, ut omnibus constat, muti sunt; ornamentum igitur animæ sanctæ, in quo Sponsus Coelestis sibi plurimum complacet, est sobrietas et continentia in loquendo. Origenes quoque mysterium indicat, cur in aureas Sponsæ aureæ, et argento vermiculata fuerint, videlicet quod aurum ad sensum, mentemque revocetur, argentum vero ad verbum eloquiumque referatur. Aurum quoque ad judicium alludit, quo verbum prius trutinandum est, priusquam enuntietur; argentum vero ad sonum externum refertur, qui modestus esse debet, non strepitosus, neque clatus. MAXI, d. VIII, n. 4.

Querunt aliqui, cur lingua inter omnia corporis nostri membra ultima sit, quae sum exequatur officium propter quod homini data fuit; videmus enim, audimus, dormimus, manducamus, ambulamus, aliaque opera naturalia diu ante exercemus, priusquam loquamur? Quantum præterit temporis, postquam homo natus, lactatus, et adultior factus est, donec verbum articulate proferat, et expedite discurrat? Nimirum per hanc sermonis tardationem natura insinuare voluit, quod ad hoc, ut lingua loquatur, prius necessaria sit ei acquisita maturitas et sapientia. Idem; disc. II, n. 8.

Salmeron ingeniose observat, quod lingua nostra naturaliter saliva continuo aspergatur; dicit enim: Habet etiam salivam, qua

perungitur, ut prudenter, et sapienter loquatur; saliva enim sapientiæ symbolum est, teste Dionysio Carthusiano, qui ait: Per salivam, sine qua verba formari non possunt, perfecte sapientia figuratur, sine qua nemo rationaliter loquitur. Ac proinde priusquam salivator noster muti illius linguam laxaret, ad expedite loquendum, prius illam sputo linivit; et expuens tetigit linguam ejus, et loquebatur recte. Porro saliva suam a sale etymologiam ducit, quia salsa est, ad denotandum, quod lingua cum sale, id est, cum judicio et prudentia loqui debeat. Et hæc est ratio, cur, dum per sacrosanctum Baptismi lavacrum regeneramur, inter alios ritus sacros sal lingue superponatur, quia, ut idem Salmeron ait: Baptizati lingue sal infunditur, ut non nisi sale prudentiæ imbuta foras prodeat. SALMERON, apud eundem. l. c.

S. Hieronymus verba illa Psalmi XLIV: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, in hunc modum exponit: Pro quo interpretati sumus: Lingua mea stylus scribæ velocis. Extrema pars prologi est, et cum præcedentibus junge, quod sequitur: *Eruetavi cor meum in laudes Dei, sermone bonum, et opuscula mea, quibus cum prædicaturus sum, ipsi potissimum consecravi. Debeo ergo linguam meam, quasi stylum et calamum preparare, ut per illam in corde et auribus audientium scribat Spiritus Sanctus.* S. Hieron. ep. cXL.

S. Bernardinus acute observat, quod lingua sub tribus corporis sensibus collocatur, videlicet sub auribus, sub oculis, sub naribus. Primo sub auribus, ut consideret prudens homo, dum loquitur, quod in audiente potest esse auris, dextra et sinistra, dextra auris benevoli sunt. Proinde taliter loquendum est, quod non scandalizentur tales; nam, ut dicitur Sapientiæ I. *Quæ loquitur iniqua, non potest latere.* Auris autem sinistra sunt malevoli, invidi et maligni, aures erigentes, dum homo loquitur, avide expectantes, aliquid capere ex ore ejus; sicut Sap. I. scriptum est: *Auris zeli audit omnia.* Ex hoc patet, quod os nostrum auribus audientium subjectum est, propterea debemus prudenter loqui. Est lingua sub oculis, ut cautus fiat homo, non loqui de vitio vel virtute, antequam intelligat, quid loquatur; vel ne, antequam noverit veritatem, laudet, vel vituperet quemquam. Lingua sub naribus sita est, ex quibus de ca-

pitale humores defluunt, et inde cerebrum expurgatur, ut ex hoc insinuetur, quod homo sæpius ab humore duorum narium expurgare se debet, hoc est, frequentius confiteri peccata commissionis et omissionis, exemplo Davidis, qui de se ait: « *Delictum meum cognovisti tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.* » Solet etiam homo sibi abstergere nasum, antequam loquatur, cum humores fluant ad os ex naribus ejus, ut merito indicetur, quod, antequam proximum nostrum, et ejus vitia lingua nostra corrigamus, nos ipsos a nostris criminibus emendemus. S. BERN. de *Multiloq.* ar. 3. c. VI.

Deus olim de Paschate Hebræorum disserens, prohibuit, ne ullus advena aut peregrinus de agno, quem populus Hebræus manducare debebat, degustaret, nisi prius per circumcisionem ad Hebræorum se recipisset religionem; ita enim habet sacer Textus. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidatur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit.* (EXOD. XII, 48.) Verissimum vero est, quod hæc omnia in figura contingebant illis. Agnus, quem populus ille sacrificabat, haud dubie figura erat Agni Eucharistici, quod nos Christiani cibamus; ad hoc vero, ne de illo indigne participemus, necessum est, ut prius circumcidamur, id est, ut non solum omnibus renuntiemus delectationibus carnalibus, verum insuper labia nostra circumcidamus. Unde ne quispiam dicere possit: Incircumciscus labii ego sum, necessum est, ut linguam habeat ab omni verbo obsceno deputatam, quia expressum præceptum divinum est: Si quis circumciscus non fuerit, non vescetur ex eo. Quare optime S. Bonaventura ait: *Circumcidi debemus ab incauta locutione, contra quod Moyses conqueritur: « En incircumciscus labii ego sum. »* Hanc circumcisionem docet Apostolus, dicens: « *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* » Quidam vero hæc circumcisio mystice significet, S. Augustinus, ab eodem Seraphico Doctore citatus, his verbis declarat: *Circumcisio ista quid est, nisi castitas nostra, quæ Deus delectatur? Enim vero S. Bonaventura quatuor distinguit circumcisiones spirituales. Quarum prima est cordis. Secunda, lingue. Tertia, aurium. Quarta, operum. Prima, inquit, circumcisio in corde. Secunda, in ore. Tertia, in aure. Quarta, in opere.* S. BOSAV. ser. II de *Circumc.*

NECESSITAS. — Sapiens Rex Salomon (cui Deus sublimiorem infudit sapientiam, quam ulli homini virenti unquam communicata fuit) in fabrica Templi Jerosolymitani operarios ita direxit, ut, licet illud ex lapidibus et marmoribus sectis et quadratis erectum et constructum fuerit, nihilominus, ut veridicus Textus ait: « Malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum edificaretur. (III. REG. VI.) » Sed quid retulisset, si inter strepitus artificum, totque innumerabilem operariorum ferramenti quoque sonus auditus fuisset? Quod si hanc diligentiam, omnem cavendi strepitum templo jam consummato adhibuisset, optime quidem factum fuisset, ne scilicet quies orantium interturbaretur, sed diligentia illa, durante fabrica, supervacanea esse videbatur. Verumtamen quia omnia in figura contingebant illis; ideo B. Petrus Damianus mysterium illius in sensu mystico exponens ait: Templum quippe Dei per silentium crescit, quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structura consurgit; tanquam succrescens in ulteriora sustollitur, quanto per silentium custodiam circumclusa sese extrinsecus fundere prohibetur. Custos enim justitiæ silentium. Et paulo post: Templum tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum spiritualium, tanquam celestium lapidum in te structura consurgat, ubi supernus ille Sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescat. S. PETRUS. DAM. I. VII, ep. VI.

UTILITAS. — Advertendum est, quod societas, qua Agnus immaculatus circumdatur, et sipatur cujus in Apocalypsi fit mentio, ex meris constet puris animabus, atque virginibus, de quibus S. Joannes Apostolus ait: « Hi sunt, qui non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum, quocumque ierit; » At vero quodnam est horum Christi sequacium præcipuum encomium, quo ab eodem Apostolo honorantur? Hoc nimirum: « In ore eorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei. » Quasi dicere vellet, ideo sunt sine macula et digni, qui coram throno Altissimi sistantur, quia linguam suam ita custodierunt, ut nullius culpæ nævo eandem commacularent. MAXI. d. III, n. 2.

ÆQUITAS. — Quisquis pretiosum aliquem

thesaurum possidet, eundem sub clave obseratum, imo etiam, si opus est, sub vigiliam custodia observat. Thesaurus autem noster anima nostra est, habemus enim thesaurum illum in vasis fictilibus; hunc si conservare volumus, linguam nostram custodiamus; quia, ut Sapiens ait: *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Et S. Ambr. de Davide ita scribit: Posnit ori suo custodiam, sepsit aures suas spinis, vectem adhibuit foribus oris sui; servat thesaurum oris sui, ne quisquam prius fur in cor ejus aut perturbator irrumpat. S. AMBR. in Ps. XXXVIII.

DANUM. — David, qui in annis juvenilibus leones dilacerat et ursos, qui Goliath gigantem, qui universo exercitui Israelitico timorem incusserat, quantumcumque armatus esset, in funda et lapide in terram prostraverat. Hic, inquam, timebat nihilominus et trepidabat; sed quænam timoris sui causa erat? Num forte truculentissimam Saulis metuebat persecutionem, aut vero innumeras Philistæorum phalanges? Vel filii sui Absalonis rebellionem? Nihil horum; quia potius acutas formidabat malignantium linguas, ac proinde Deo exercitum, qui ab illis eum defenderat, et tutatus fuerat, devotas egit gratias dicens: « Protexisti me Deus a conventu malignantium; » sed quidnam erant isti? Hi nimirum qui linguas suas in modum gladii exacuunt: Exacuunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Que verba exponentem S. Hilarium auscultemus, ait enim: Non hic Propheta arma bellica, nec enses, aut jacula, aut tormenta arcuum pertimescit; omnis enim in lingua timor est; hujus gladios, et spicula metuit. S. HILAR. in Ps. LXIII, 4.

D. Chrysostomus merito vehementer admiratur, quod Epulo, quem Salvator noster, in inferno sepultum, et toto corpore flammis cinctum in Evangelio exhibet, solum pro lingua vehementer ardente refrigerium postulet, dicens: « Intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. » Ait enim: Si te jam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur, quare solius lingue æstibus desideras subveniri? Lyranus respondet: Ibi plus cruciabatur, quia per eam plus peccaverat. Lingua enim gustus et saporis discernit epularum, christatice et erapulis subservit, qua proinde

abutebatur dives ille, qui epulabatur quotidie splendide. Unde S. Bonaventura ait: Hæc primo degustat cruciatus, quæ pretiosos cibos, et odorifera pocula degustavit, secundum illud: Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur. Interlinearis observat, quod in conviviis, sarrilitatibus, et ineptiis eloquendis lingue frena licentiosius laxentur. Unde ait: In hoc nota, quia, sicut mos est, etiam inter convivia, loquacitati studuit. Idem S. Bonav. ait: Magis expressio fit de lingua, quam de alio membro, quod cruciatur et affligitur in inferno, quia ipsa in culpis est quasi fomes totius iniquitatis.

S. Petrus Damianus nonnullorum animalium adfert exemplum, quæ ideo facile capiuntur, quia os suum aperire non omittunt. Dicit enim: Nunquam hostis fauces hydrys ingreditur, nisi cum crocodilus oscitans invenitur; nam si clausum os teneat, insidiantis impetum non formidat. Anthilops cum exclamat, ignarus ad suum interitum gladios venatoris invitat, quod, donec obtulit, prosequens industriam fugacis cursus opinione delusit. Atque ut hoc inferam, quod cancer ostreo, facit plerumque Diabolo Monacho. Cancer enim quoniam ostreis vescitur delectabiliter, eorumque carnibus tanquam epulis saginatur, operæ pretium est audire, quas illis struat insidias, nam cum avidè sit appetens cibi, est argute prospiciens et pericali; quoniam, cum sit difficilis, est periculosa venatio. Difficilis quidem, quoniam esca carnis interior validioribus testis includitur; periculosa vero, quia si chelas cancer immiserit, relabente protinus testarum dyptico, inevasibiliter coarctatur. Quid ergo facit, ut valeat obtinere, quod flagitat? Solerter explorat, si quando ostreum in locis ab omni vento remotis se contra radios solis aperiat, cum ergo calculum clandestinus incusator immittit, et conclusionem ostrei interjectu sufflaminis impedit, sicque hiantia claustra reperiens tuto jam chelas ingerit, et viscera ostrei interna decernit. Quid igitur ostreum congruentius videatur significare, quam Monachum, qui nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur; perit autem, cum ad loquendum immoderatus aperitur. Ad instar scilicet ostrei, qui, cum non hiat, integer animam servat; cum effrenate loquitur, vitæ visceribus vacuatur, quasi quidam lapillus parvæ consuetudinis obstat, ne is, qui fabularum vacat ineptiis, a sua se vanitate re-

cludat. Quid autem est per figuram cancer, qui post se naturaliter graditur, nisi apostata Spiritus, qui postquam semel a Conditor recessit, in posteriora relabi nunquam desinit. Unde et diabolus interpretatur deorsum fluens. S. PETRUS. DAM. I. I, ep. XVIII.

S. Laurentius Justinianus inter alia dixit: Qui eruditam possidet linguam, tanquam turris David est, quæ edificata est cum propugnaculis. Talem se arcem esse S. Job probavit, licet contra ipsum totus infernus omnibus esset viribus armatus; dicit enim: « Pelli meæ, consumptis carnibus, adhesit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. » Et enim si hoc loquendi modo Job lamentatur, quod cum toto corpore a Dæmone exulceratus fuerit, nihilominus labia circa dentes a Dæmone illæsa permanserint. S. Propheta sine causa lamentatus fuisse videtur, quia sine causa deformatus futurus fuisset, si etiam labia circa dentes ei sustulisset, prout apparet in erantibus mortuorum, quæ tanto sunt turpiora, quanto magis dentes a labiis sunt denudati. Verumtamen quod Job labia circa dentes illæsa permanserint, minime implacabilis hujus Tyranni infernalis indulgentiæ attribuendum est, sed potius stratagemata quoddam fuit; quia tametsi Job animam, velut inexpugnabile quoddam fortalium, ex omni parte vallis et muri custoditum esse viderit, nihilominus per portam se in illud æditum habiturum esse minime diffidit, utpote quem labiis suis in aliqua blasphemie, desperationis, maledictionis vel impatientiæ verbum prorupturum esse sperabat. Unde sacer quidam Interpres super Jobum ita scribit: Hoc agere videtur Diabolus, qui ingrediendi in eum non acceperat potestatem, cum jam illum totam variis cruciatibus consumpsisset, dentes, linguam, et labia, quæ sunt vasa verborum, reservat; ex his enim forisens cordis promptuarium demonstratur, quod nobis sensus intrinsecus constitutos distinctionis suæ ministerio proferunt. Hæc ergo, inquam, Diabolus in eo reservat, ut blasphemiam prolatam ejus ore cognoscat. Sed audiat Scripturam dicentem: « In omnibus his non peccavit Job labiis suis. (S. LAUR. JUST. c. XV de Discip.) Quod ipsum S. Hieronymus diu ante prefatum interpretem his verbis scripserat: Ob hoc enim Diabolus consumptis carnibus S. Job, labia ejus integra dereliquit, ut haberet positus in tormentis, qui-

bus posset facile blasphemare; ideo Diabolus linguam reservavit, ut intelligere posset, si Job ob cordis simplicitatem blasphemiam proferret in labiis. S. HIERON. in e. xix. *Job*.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Quidam Rex Angliæ, cum tres suos filios interrogasset, quid quisvis data optione maxime a Deo postularet, respondit primus, fortitudinem se petiturum, ut omnes subjugare posset. Alter pulchritudinem se postulaturum dixit, qua omnes in sui amore alliceret. Tertius, et natu minimus, collum gruis potius se optaturum dixit, ut non nisi bene discussa verba depremeret. Qui proin cæteris prudentior visus patri, regnum ab eo accepit. *Spec. Ex. dist. ix, ex. 103.*

Dicente quodam Fratre: Desidero custodire cor meum; respondit Abbas Sisoy: Et quomodo possum custodire cor nostrum, si lingua nostra januam apertam habeat? *Vita PP. l. cv.*

Socrates, ut adolescentem quemdam recte cognosceret, dixit illi: Loquere, adolescens, ut videam te. *GRAN. in Loc. Com. f. 382.*

Alexander Magnus epistolam occultas accusationes in Antipatrum continentem cum accepisset a matre, et legendam Ephæstioni dedisset, ea perfecta annulum suum ori illius impressit, dicitque: Contine hæc, et ne eorum quid effutias. Quanto magis si Christus sigillum charitatis fraternæ ori nostro impresserit, et mandatum tacendi adjecerit, parere convenit? *PLUT. ap. Fab. conc. II, in Dom. XI, post Pent.*

Non male cecinit Poeta:

Nil melius lingua, lingua nil pejus eadem,
Tristia cum dulci toxica melle gerit.

Non multis verbis opus est, inquit Seneca, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt. *SENEC. ep. xxxv.*

Imago animi, sermo est. Qualis vir, talis oratio. Magnum est vocis et silentii temperamentum. *LANG. in Polyanth.*

Hesiodus Poetarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dixit, perinde ut thesaurum, ejusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, et parca, et moderata sit. *GELL. l. I, Attic. noct. e. xv.*

Alphonsus Rex loquaculos homines utres

vocitabat, quia sicut utres infusis humoribus extenduntur, donec humorem infusum respuant; ita loquaces infantur, donec audita garriendo effutiant. *PAN. l. IV.*

Cum olim Hebraeus Rabbi Jehuda in foro proclamasset, se habere domi aquam auream maximi pretii, quæ restituendis viribus, et producendæ vitæ plurimum conduceret, confluentibus ad ipsum undique emptoribus, ipse eos domum perduxit, et apertis Bibliis illa Psalmi verba recitavit: Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Et hæc demum esse aquam vitæ auream dixit. *DREXEL. in Phaet. e. LVII, §. 5.*

NECESSITAS. — Fuit, qui lautissimam suppellectilem in domo aliena intuitus, aliquid adhuc deesse dixit instrumentum scilicet humanæ genti summe necessarium; quæsit, quod illud esset? Linguarium, inquit, quod lingua custodiatur; neque enim ulla pars suppellectilis tam necessaria est, ac ista. *Ibid.*

Abbas Lucius dicenti Longino se habere triplicem cogitationem. 1. Ut peregrinetur. 2. Ut sæpe jejunet. 3. Ut declinet hominum aspectus; respondit: Si non teneris linguam, quocumque perrexeris, non eris peregrinus, sed refrena hic linguam, et eris etiam hic peregrinus. *Vita PP. l. IV, n. 33.*

S. Macarius Fratri petenti sermonem, per quem salvari posset, dixit: Oportet fugere homines, in cella sedere, et pro peccatis jugiter lamentari, et, quod super omnes virtutes est, tam linguam coercere, quam ventrem. *Ibid. l. III, n. 189.*

Diogenes ad juvenem formosum turpia loquentem dixit: Non te pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium educere? Idem multo magis dici poterit de Christianis, nisi linguam a malis sermonibus coercerent, cum hi ore suo Christum toties excipiant. *FAB. conc. III, in Dom. XI, post Pent.*

UTILITAS. — Abbas Pomen dixit: Si Moachus ventrem suum et linguam tenerit, et vacationem non fuerit seclatus, confidat, quia non moritur, sed vivit in perpetuum. *Vita PP. l. II, c. II.*

Cum Arsenius a Deo peteret cognoscere viam, per quam salvari posset, audivit vocem: Arseni, fuge, face, quiesce. Hæc sunt principia salutis. *Ibid. l. III, n. 190.*

Xenocrates, cum maledico quorundam sermoni summo cum silentio interesset,

quæsitus, cur id faceret? respondit: Quia locutum me esse penitet, tacuisse numquam. *LAERTIUS, ap. Lang. in Polyant.*

DAMNUM. — Theophrastus dicebat, potius effreni equo insidendum, quam verbo incomposito fidendum; eo quod plus periculi ab hoc, quam illo immineret. *Ibid.*

Suidas linguam alloquendo interrogat: Quo vadis? Cui illa respondet: Urbem everesura, aut instauratura. *DREXEL. in Phaet. e. LVII, §. 4.*

Pythagoras gladii plagam leviozem esse dicebat, quam linguæ; ille enim corpus, hæc animam vulnerat.

Garrulorum symbolum ostrea est, ut enim, dum hæc sese aperit, cancer lapillum in eam projicit, et sic eam capit; ita dum garrulus os impropide aperit, Diabolus lapillum peccati in os ejus projicit, et sic in interitum trahit. *HUGO. ROTM. p. II, c. xxxix, lect. 7.*

AXIOMATA.

Ex abundantia cordis os loquitur. *MATH. xxiv, 34.*

Mors et vita in manibus linguæ. *PROV. xviii, 21.*

Bis ad limam, quam ad linguam.

Qui multum fatur, stultissimus esse probatur.

Locutum fuisse multos pœnituit, neminem tacuisse.

Frons aperta, lingua parca, mens clausa, regnum tenent.

Qualis vir, talis oratio.

Quale avis rostrum talis et cantus. *SOCR.*

Non oportet multis verbis pauca dicere, sed paucis multa. *FABER, conc. II, Dom. II, post Pent.*

AUCTORES.

Jeremias Drexelius, in *Phaetonte*.

Ludovicus Granatensis, in *Locis Communibus* f. 380.

Alphonsus Rodriq. p. II, tr. II.

Joannes Bæusæ, in *Panario*. V. Colloquia otiosa.

Joseph. Langius, in *Polyanth*. V. eod. et V. Loquaçitas.

LUDUS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — In genere definitur *dictum vel factum ad animi oblectationem pertinens*; in hoc loco tamen accipitur cum Theologis et Juristis pro contractu, quo duo vel plures inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. *BEIRLINCK, eodem verbo.*

DIVISIO. — Dividitur præcipue in *licitum*, et *illicitum*; quorum prior est, qui regulas et conditiones a Theologis requisitas observat; posterior est, qui aliquam ex dictis conditionibus scienter non observat. Secundario tamen, et accidentaliter ratione instrumentorum, quibus perficitur, ludus dividi potest in alearum, chartarum, conorum, tridicularum, et similes ludos. *Ibid.*

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Quæ ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam, numerabo vos in gladio. *(ISALE, LXV, 21.)* Quæ verba explicans S. Antoninus: Ponunt, inquit, mensam fortunæ, qui ludunt, exponentes se fortunæ, sive per taxillos ludendo, sive per chartas, et isti feriuntur gladio divinæ ultionis in inferno. *S. ANTON. p. II, t. I, c. xxxiii, §. 8.* Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. *EXONI, xxxii, 6.*

FUGA. — Non sedi in concilio ludentium. *JER. c. xv, 17.*

Numquam cum ludentibus miscui me; neque cum his, que in levitate ambulanti, participem me præbui. *Tob. c. iii, 17.*

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Lusor ludum facit Deum suum, eo quod illum in amore præponit ipsi Altissimo Deo; nam illud ab homine colitur, quod in amore præ cæteris honoratur. *S. BERN. t. I, s. xlii, a. 2.*

Plus honoris defert lusor tribus taxillis, quam ossibus Jesu Christi, quem in ludo sæpius vituperando blasphemavit; propterea